AUTHOR: ELVENICH, PETER JOSEPH

TITLE: LOCUS DE OFFICIIS I, 13,40

PLACE: BRESLAU

DATE: 1831

Master Negative #

91-80133-5

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87C08
DZ6

Elvenich, Peter Joseph, 1796-1886.
Locus De officiis I, 13, 40 Ciceroni vindicatus scripsit Dr. P. J. Elvenich. [Breslau, Grass, 1831]
10 p. 28½ cm.

On cover: Zu der am hiesigen Königl. Kathol. gymnasium... öffentlichen prüfung... ladet... ergebenst ein der director...

102894

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/3/92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Zu der

am hiesigen Königl. kathol. Gymnasium

den

15ten und 16ten August

zu haltenden

öffentlichen Prüfung

und der

auf den 17ten Vormittags bestimmten

feierlichen Versetzung der Schüler

ladet

alle Gönner und Freunde der Anstalt ergebenst ein

der Director

Dr. P. J. Elvenich,

öffentl. ordentl. Professor der Philosophie an der Universität.

Breslau, 1831.

Gedruckt bei Graß, Barth u. Comp.

LOCUS

DE OFFICIIS

I, 13, 40.

CICERONI

VINDICATUS.

SCRIPSIT

Dr. P. J. ELVENICH.

Cicero inter varia iustitiae praecepta, quae I libro de Officiis inde a capite 7 enumerat, etiam illud refert capite 13: ut, si quid singuli, temporibus adducti, hosti promiserint, in eo ipso fides conservetur. Deinde hoc praeceptum, pertinens ad officia bellica, pro more suo illustrat exemplis ex historia petitis; quorum exemplorum primum, quod est de Regulo, nullam adhuc criticis suspicionem movit, cetera autem duo, quae subiecta sunt, criticis tantum non omnibus videntur esse interpolata. Sed placet ipsum locum, qui in suspicionem venit interpolationis, adscribere.

„Secundo autem Punico bello, post Cannensem pugnam, quos decem Hannibal Romam „adstrictos misit iureiurando se redituros esse, nisi de redimendis iis, qui capti erant, „impetrassent: eos omnes Censores, quoad quisque eorum vixit, qui peierassent, in ae„rariis reliquerunt, nec minus illum, qui iurisiurandi fraude culpam invenerat. Quum „enim Hannibalis permissu exisset de castris, rediit paullo post, quod se oblitum nescio „quid diceret. Deinde egressus e castris iureiurando se solutum putabat; et erat verbis, „re non erat. Semper autem in fide, quid senseris, non quid dixeris, cogitandum. Ma„ximum autem exemplum est iustitiae in hostem a maioribus nostris constitutum, quum „a Pyrrho perfuga Senatui est pollicitus se venenum regi daturum et eum necaturum. Se„natus et C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit. Ita ne hostis quidem, et potentis et bel„lum ultro inferentis, interitum cum scelere approbavit.“

Haec igitur omnia critici pro interpolatis habent, inprimisque Gernhardus molem argumentorum affert, ex quibus constet non posse locum illum esse Ciceronis ipsius. Contra quos ego ita existimo, locum esse vel maxime Ciceronianum et genuinum habendum. Quod iudicium ut confirmetur, argumenta ab Gernhardo enucleate proposita, quibus vix addi aliquid potest, singula ex ordine perlustrabo.

I.

Ac primum de latinitate, in qua plura Gernhardus reprehendit, plura alienae manus indicia sibi videtur cognoscere.

eos omnes Censores, quoad quisque eorum vixit, qui peierassent) Ad haec Gernhardus: „Minus perspicue, minusque eleganter scriptum est *eos - eorum*." Scilicet duo vitia notat, ubi ne unum quidem notandum fuit. Primum locus nihil obscuritatis habet: nam pronomen *eorum* propter additas voces *qui peierassent* non potest ad Censores referri, sed necessario refertur ad decem illos ab Hannibale missos. Inelegantem vero aut ingratam nemo dixerit pronominis iterationem, nisi qui auribus sit nimium delicatis. Certe hoc genus iterationis, quo iuvatur etiam perspicuitas, non semel excidit Ciceroni. Similia exempla collegit Bremius ad lib. de Fat. 16; quibus adde de Orat. II, 77: „qui si quando plures adhibent patronos, ut in *quoque eorum* minimum putant esse, ita *eum* primum volunt dicere;" ad Famil. VIII, 8: „qui *eorum* in iudicibus essent, *eos* adducere liceret— Item Senatui placere de militibus, qui *eorum* stipendia emerita .... habeant, ad hunc ordinem referri, ut *eorum* ratio habeatur. Itemque Senatui placere, in provincias, quas praetorii pro Praetore obtinerent, *eos*, qui Praetores fuerunt, neque in provincia cum imperio fuerunt, quos *eorum* ex S.C. cum imperio in provincias pro Praetore mitti oporteret, *eos* sortito in provincias mitti placere."

in aerariis reliquerunt) Gernhardus: „Non ante narratum est, decem illos remansisse, remque a Senatu non impetrasse, in aerariosque relatos esse, qui dicuntur in his relicti." At meo iudicio haec brevitas non modo non vitio tribuenda, sed etiam laudanda est. Quid enim? si decem illi a Censoribus in aerariis relicti sunt per totam vitam, nonne ultro cuique in mentem venit etiam in aerarios referri (i. e. omni tribu moveri) debuisse? Quod si tulerunt hanc poenam ignominiosam, nonne etiam in promptu est cogitatio, neque a Senatu eos rem impetrasse, neque iuriiurando suo satisfecisse, h. e. non rediisse, sed in urbe remansisse? Et hoc ipsum nonne aperte significatur vocibus *qui peierassent?* nam coniunctivus post relativum hic causam significat, et aptissime positus est. Miror Gernhardum, qui argumenta tam futilia in medium proferre audeat.

nec minus illum, qui iurisiurandi fraude culpam invenerat) Gernhardus: „Quis non opinetur, *illum, qui — invenerat*, fuisse undecimum, cum praecedat *eos omnes — reliquerunt*, qui quidem decem fuerunt?" Quasi vero ex orationis contextu non liqueat eum, qui hic dicitur fraudem iuriiurando fecisse, numero decem illorum, qui peierassent, ideoque periurii poena affecti essent, comprehendi oportere. Nam particula *nec minus*, pro *etiam, pariter*, nemini fucum faciet, potestque ea locum habere, sive aliquis undecimus, sive unus ex decem illis significetur. Quod autem praecedit *eos omnes — reliquerunt*, nimirum ex hoc ipso contrarium argumentum peti debuit; ut, si dixeris: „*omnes* criticos interdum inanes scrupuli vexarunt, *nec minus* Gernhardum," necessario

Gernhardus intelligendus est unus esse ex illis omnibus. — Neque haesitare homines docti et variis coniecturis operam dare debuerunt in locutionibus *iurisiurandi fraude* et *culpam invenerat*, quibus nihil potest magis exquisite latinum esse. Nam iusiurandum obligat tanquam lex, quam quis sibi ipse imposuit, ut praeclare dicatur genitivo obiectivo *fraus iurisiurandi*, similiter ac *fraus legis, senatus consulti*, et alia huiuscemodi, de quibus nemo dubitat. Et *culpam invenerat* idem valet, quod *in culpam inciderat*. Simillimum exemplum a Beiero allatum est ex Herenn. IV. § 45: „*vituperationem invenistis*, ut timidi atque ignavi putaremini." Sic *infortunium invenire* apud Plautum in Amph. I, 1, 130. Nimirum *invenire aliquid* proprie est *venire, duci, deferri in aliquid;* ex qua significatione, quae late patet, facilem explicatum habent et supra propositae locutiones et aliae, in quibus *invenire* idem est, quod *accipere*. Hac potestate usitatum est Ciceroni *nomen, cognomen invenire*, ut de Nat. D. II, 40: „Stellae ex notarum figurarum similitudine *nomina invenerunt;*" de Orat. II, 90: „ex qua eloquentia *nomen ipsum invenit;*" de Off. III, 31: „T. Manlius torque detracto *cognomen invenit*," et saepe alibi.

Hannibalis permissu) Gernhardus: „Quidni iussu Hannibalis, qui paullo ante dicebatur eos *misisse?*" Respondeo: quidni pro *iussu* dici potuerit *permissu?* nam qui iubet, idem permittit. Sed mea opinione etiam rectius se habet illud *Hannibalis permissu*. Cogitandus est Hannibal, quum decem illi se iuramento adstrinxissent, ita dixisse: Permitto nunc ipsis exire de cástris et mandatum meum efficere.

se venenum regi daturum et eum necaturum) Gernhardus: „Quasi venenum detur vel non necando! Hoc Ciceronem scripsisse, quis credat? Sic variat interpolatorum oratio. Audi ipsum III, 22: *se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum et eum veneno necaturum*." Parum sibi constat Gernhardus, qui, quum supra nimiam brevitatem reprehenderit, nunc in contrarii vitii notatione tam diligens sit. Vere autem si dicere volumus, tales sive tautologiae sive battologiae non raro apud Ciceronem reperiuntur, ut exemplis ad h. l. ostendit Beierus. Causa huius rei fere semper posita est in numeri iuvandi studio, quod quale sit apud Ciceronem, quis nescit? Sic nostro loco unius cogitati in duo membra seiunctio plane numerum iuvat, siquidem ad aures explendas est aptius illud: *se venenum regi daturum et* (hoc modo) *eum necaturum*. Sic etiam III, 22 propter numerum sententia concluditur duobus membris, quae in unum colligi potuissent.

perfugam Pyrrho dedit) Alii sine codicibus *dedidit*. Ad quod Gernhardus: „Relinquenda erat Pseudo-Ciceroni sua latinitas." At bene latinum esse *dare* pro *dedere*, vel extremus Ennii versuum cap. 12 satis monstrat: „Dono, ducite, *do*que volentibu' cum magnis diis." Neque hanc locutionem *dare captivos* dixeris esse licentiae poeticae: per se enim lucet, quum *dare* sit verbum primitivum, unde originem habent *dedere, tradere, reddere*, posse illud tanquam genus pro his usurpari. Ex quo fit, ut dicatur *dare se litteris, iucunditati* vel aliis rebus, item *dare se alicui ad aliquid*, veluti ad docen-

dum, pro *dedere, tradere.* Saepe hic variant codices, ut vera lectio vel in dubio relinquenda sit, vel, si delectus fiat, nihil habeas, quod sequare, praeter optimorum codicum auctoritatem. Et nostro loco fortasse ideo scriptum est *dedit,* quia Fabricius non rogatus, sed sua sponte perfugam reducendum curavit.

Hactenus id unum feci, ut, quae Gernhardus in latinitate reprehendisset, ea vacare ab omni iusta reprehensione intelligeretur. At multa etiam sunt in loco illo eiusmodi, quae dictionem Ciceronis maxime propriam luculenter significent, ex quibus unum alterumve nunc breviter indicabo. Statim initium loci „*Secundo autem Punico bello, post Cannensem pugnam,* quos decem rel.“ habet, quo Ciceronem prodat; nam solet Cicero inchoare periodos a commemoratione temporis vel aliorum adiunctorum, siquidem haec adiuncta et ad protasin et ad apodosin periodi referenda sunt. Sic de Or. II, 68: *Paucis post diebus* quum ad Nasicam venisset Ennius et eum a ianua quaereret, exclamat Nasica se domi non esse;“ pro Arch. 4: „*Interim satis longo intervallo* quum esset cum L. Lucullo in Siciliam profectus, et quum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam;“ ibid. 3: „*Hac tanta celebritate famae* quum esset iam absentibus notus, Romam venit.“ — In proximis verbis „de redimendis *iis, qui capti erant*“ valde probabilis est indicativi usus, etsi in oratione obliqua; nam voces *iis, qui capti erant,* meram vim habent simplicis nominis substantivi. Similiter de Orat. II, 77: „Quibus animorum impetus *eorum, qui audiunt,* aut impellantur aut reflectantur;“ ibid.: „Res enim hoc postulat, ut *eorum* exspectationi, *qui audiunt,* quam celerrime occurratur;“ pro Arch. 9: „Cuius ingenio putabat *ea, quae gesserat,* posse celebrari.“ — Nolo illud repetere, quod iam supra animadverti ad verba *qui peierassent,* ubi coniunctivi usus, ut habet singularem et idoneam causam, ita non facile exspectatur post indicativum *quoad quisque eorum vixit.* — Mitto etiam, quae explanavi ad verba: *qui iuris iurandi fraude culpam invenerat,* quae tam sunt exquisitae latinitatis, ut ab interpolatoris manu vix ac ne vix quidem proficisci potuerint. — Quod sequitur *exisset de castris,* saltem tenue vestigium ostendit dictionis Ciceronianae. Sic de Orat. II, 55: „existi *de* balneis;“ ibid. 65: „*de* triclinio tuo exibis.“ — Proximae voces: *quod se oblitum nescio quid diceret,* duobus nominibus Cicerone dignissimae sunt. Primum enim solenne est apud ipsum *nescio quid* pro *aliquid;* ut ad Att. V, 17: „Idem scripsit Hortensium de propaganda nostra provincia dixisse *nescio quid;*“ pro Plancio 16: „Lubet enim tibi *nescio quid* etiam de illa tribu criminari;“ ad Att. VI, 1: „Sed ista admonitio tua tam accurata *nescio quid* mihi significare visa est.“ Deinde coniunctivus *diceret* pro *dicebat* explicandus est ex vi quadam attractionis; nam potuit ita scribi: *quod oblitus esset.* Similia exempla haec sunt: de Orat. II, 62: „Excusavit Vespa Terentius, quod cum brachium fregisse *diceret;*“ ad Att. IV, 1: „quum abessent consulares, quod tuto se *negarent* posse sententiam dicere;“ de Off. III, 31: „quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem *arbitraretur,* surrexit e lectulo,“ ad quem locum confer Beierum. — Illustris etiam et, sive numerum sive vocabulorum collocationem spectabis, cum Ciceronis consuetudine inprimis consentanea

est haec propositio: *maximum autem exemplum est iustitiae in hostem a maioribus nostris constitutum.* Ex his ne una quidem vocula moveri suo loco poterit nisi detrimento numeri. Encliticum *est* post *exemplum* et apte et ex more Ciceronis in media enuntiatione locum habet, quo efficitur, ut subsequens vocabulum *iustitiae* cum maiore emphasi pronuntiari queat. Sic de Off. I, 2: „quum multa *sint* in philosophia et gravia et utilia accurate copioseque a philosophis *disputata;*“ ibid. 3: „de quibus *est* nobis his libris *explicandum;*“ ibid. 4: „principio generi animantium omni *est* a natura *tributum;*“ ibid. 9: „quod apud Platonem *est* in philosophos *dictum;*“ ibid. 14: „qua quidem nihil *est* naturae hominis *accommodatius,*“ et saepe alibi. — Porro locutio illa: *Senatus et Caius Fabricius — dedit,* quippe duobus nominibus subiecti quasi unam personam significans, accuratior est, quam ut exspectetur ab interpolatore. Similiter de Off. III, 32: „quod *Senatus populusque Romanus* rebus afflictis tam excelso animo *fuisset;*“ apud Liv. I, 32: „*ego et populus Romanus ...* bellum *indico facioque;*“ ibid. XXII, 32; „gratum sibi *Patres Romanos populumque facturum.*“ — In postrema propositione: *ita ne hostis quidem .. interitum cum scelere approbavit,* brachylogia inest a Ciceronis usu non aliena quidem, sed eadem tamen rarior, tamque exquisita, ut sane non indicet manum interpolatoris. Videlicet verba *interitum cum scelere* coniunctim et tanquam pro una notione accipienda sunt pro *interitum, qui scelus adiunctum habeat,* s. *qui per scelus hosti paretur.* Similiter cap. 8: „delectant etiam magnifici apparatus *vitaeque cultus cum elegantia et copia,*“ quem locum male intelligunt, qui ita accipiunt, ut postremis vocibus *cum elegantia et copia* putent significari novum quid et a vitae cultibus seiunctum: imo intelligendi sunt vitae cultus, qui iidem sint elegantes et copiosi, s. qui elegantiam et copiam secum habeant (Lebensverschönerungen in geschmackvollem und reichem Stil). Sic Tusc. I, 49: *mors cum gloria optabilis,* quod certe non significat: mors optabilis est, itemque gloria; verum hoc unum dicitur: mors adiunctam habens gloriam s. mors gloriosa optabilis. Adde pro Planc. 31: „Non modo lacrymulam, sed multas lacrymas et *fletum cum singultu* videre potuisti;“ de Orat. III, 27: „acrem quandam *cum amplificatione incusationem.*“ Huc pertinent etiam exempla a Beiero allata: *cum dignitate otium* ad Famil. I, 10, et *cum officio selectio* de Fin. III, 6, quamqam ille rursus confundit exempla proposita cum aliis, quae valde discrepant. *)

*) Similem usum interdum habet particula *sine,* adiecto nomine substantivo, ut pro Quinct. 9: *sine iniuria potentiam,* ubi voces *sine iniuria* sunt pro nomine adiectivo s. attributivo. Similiter ad Att. I, 18: „ignavus et *sine animo miles;*“ de Orat. I, 23: „*loquacitatem sine usu* non requirunt,“ ibid. III, 48: „illa *sine intervallis loquacitas,* perennis et profluens.“ Sic de Off. I, 18: *Salmaci, da spolia sine sudore et sanguine,* postremae voces videntur coniunctim accipi debere cum nomine *spolia,* ut sensus sit: da *spolia, quae tibi nullo sudore et sanguine steterunt,* i. e. *spolia inhonesta s. turpia.* Saltem hic sensus multo acerbior ideoque accommodatior est, quam alter: da spolia, nihil repugnans, i. e. ultro.

Iam satis illud constare mihi videtur, de latinitate quidem non posse locum pertractatum in suspicionem venire: inest enim in eo pura et casta, interdum etiam exquisita, item elegans et valde numerosa, nec minus apta verborum collocatione insignis oratio. Quae quidem virtutes ut in Ciceronem maxime cadunt, ita profecto mireris librarium vel quemcunque demum interpolatorem tam praeclare latine, inprimis tam exquisite et numerose scripturum fuisse; nam quae ex calamo librariorum vel interpolatorum fluunt, praesertim si sunt longiora, ea non solent nitere tam eximio latinitatis colore. Quod si ita est, ut certe est, ipsa latinitas huius loci per se vel gravissimum argumentum est, interpolationem illam criticorum mere commenticiam esse; nisi forte aliae rationes afferri possint, quibus tantum argumento illi derogetur, ut nihili putandum sit, et contraria sententia tanquam vera eluceat. De his igitur rationibus nunc inquirendum est.

II.

Exempla duo, et captivorum, qui ab Hannibale missi sunt, et perfugae a Pyrrho venientis, iterum narrantur libro III, et modo, ut Gernhardus putat, vehementer a I libro discrepante. Concludit igitur, hoc loco interpolata esse. Non quidem offenditur Gernhardus ipsa repetitione, quum bis etiam Cicero dixerit de Regulo, de Theseo, de Corinthi excidio — nam primi et tertii libri de Officiis magna unius cum altero cognatio est — sed offenditur sola narrationis discrepantia. Videamus igitur, haeccine tanta sit, ut iustam interpolationis suspicionem moveat.

Exemplum de decem captivis iterum narratur III, 32 his verbis: „Sed ut laudandus Regulus in conservando iureiurando, sic decem illi, quos post Cannensem pugnam iuratos ad Senatum misit Hannibal, se in castra redituros ea, quorum erant potiti Poeni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus auctor inprimis: ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, novem revertisse, a Senatu re non impetrata, unum, qui paullo post egressum redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romae remansisse. Reditu enim in castra liberatum se esse iureiurando interpretabatur, rel.“ Quae hic narrantur usque ad verba: *de quibus* cet, cum primo libro certe consentiunt. At Cicero addit, idem exemplum ab aliis aliter narrari, ut a Polybio, bono inprimis auctore: contra primo libro nullam huius diversitatis mentionem facit. Quid ergo est? licetne ex eo concludere locum primi libri spurium esse? Minime omnium. Nam, ut illud omittam, quod Beierus in Excursu dubitanter contra Gernhardum monet, „illorum auctorum narrationes Ciceroni hunc primum librum conscribenti fortasse non in promptu fuisse, atque ob eam ipsam causam fieri potuisse, ut, qua erat diligentia, quodam modo retractaret ea, quae hic ex aliorum auctorum fide retulisset,“ ut hoc, inquam, quod parum videtur probabile, omittam, habeo aliud argumentum, quod meo iudicio gravissimum est. Non historiam Cicero scribit in his libris, verum praecepta tradit

officiorum. Iam ea praecepta si exemplis ex historia petitis illustrat: quaeso, an necesse est, ut, quemadmodum historiarum scriptor, vel diversas narrationes studiose exquirat et commemoret, vel anxius sit de exemplorum propositorum fide? nonne etiam ficta exempla adhiberi possunt, ut Thesei illud et Hippolyti? Corruit igitur totum id, quod Gernhardus vociferatur: „Quae de scriptorum discrepantia tradit III, 32, par erat priore loco hoc disputari. Quod si fecisset, non eandem rem primum nullo auctore commemorato, deinde ex Polybio, *bono auctore inprimis*, tradidisset.“ His verbis fortasse diceret aliquid Gernhardus, si res gestas Cicero perscriberet: nunc id unum ratione postulatur, ut Cicero sibi consentaneus sit in tradendis morum praeceptis.

Secundum exemplum iterum narratur III, 22 hoc modo: „Quanquam id quidem cum saepe alias, tum Pyrrhi bello a C. Fabricio, Consule iterum, et a Senatu nostro iudicatum est. Cum enim Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset, cumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente: perfuga ab eo venit in castra Fabricii eique est pollicitus, si praemium sibi posuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque eius factum laudatum a Senatu est ..... Utrum igitur utilius vel Fabricio .. vel Senatui nostro.., armis cum hoste certare an venenis?“ Vides hoc loco dici *perfugam venisse in castra Fabricii eique (Fabricio) pollicitum esse:* contra primo libro sic scriptum est: *cum a Pyrrho perfuga Senatui est pollicitus.* Quocirca Gernhardus: „Quid autem, hoc perfuga pollicitus est non Fabricio, sed Senatui? Credo, in ipsum Senatum venisse perfugam.“ Deinde primo libro legitur: *Senatus et C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit*, tertio autem sic: *hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque eius factum laudatum a Senatu est.* „Ut alii, inquit Gernhardus, aliter eam rem narraverint, Ciceronem in eodem libro tantam discrepantiam admisisse nemo credet, nisi qui illum facilius concesserit esse *fatuum*, quam depravatum culpa interpolatorum.“ Ad hanc argumentationem refutandam primum illud, quod supra dixi, rursus commemorandum est, consilium Ciceronis minime flagitasse, ut in narrandis exemplis, quibus morum praecepta illustrarentur, omnem discrepantiae speciem studiose evitaret. Tum, si singula diligentius consideraveris, ne tantam quidem locorum illorum discrepantiam invenies, quantam Gernhardus: imo hic verbis vim facit, inepte argutatur et praecipitat potius iudicium quam ratione confirmat. Sic facile intelligitur minime altera narratione excludi, a Pyrrho perfugam etiam Senatui illud promissum fecisse. Quidni enim Senatui fecerit absens, id est per Fabricium, ipsi autem Fabricio praesens sive coram? Quo posito, vel species primae illius discrepantiae omnis tollitur. Et revera Fabricium de promisso sibi facto ad Senatum retulisse, id non modo per se verisimile est, sed etiam necessario efficitur ex ipsis verbis Ciceronis III, 22: „quanquam id quidem ... Pyrrhi bello a C. Fabricio ... *et a Senatu nostro* iudicatum est,“ et postea: „utrum igitur utilius vel Fabricio .. *vel Senatui nostro*, armis cum hoste certare an venenis?“ Inepte haec, si nihil cum perfuga Senatui

Etiam illud excusationem habet, quod primo libro Senatus *et* Fabricius perfugam Pyrrho *dedisse*, tertio autem *solus Fabricius* dicitur *dedisse*, *Senatus* vero *laudasse* factum Fabricii. Nam factum alterius qui laudat, hac ipsa laude tanquam suum facit. Non incommode igitur primo libro: *Senatus et C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit*, praesertim quum ipsius rei natura doceat, hanc perfugae traditionem non eodem sensu Senatui tribui posse ac Fabricio.

Sed alia causa est, cur Gernhardus alterius exempli narrationem e primo libro exterminari velit. Narratio enim continet laudem maiorum in hostem iustitiae. „Quid hoc loco maiorum iustitia, cum expectantur exempla singulorum, qui fidem hosti datam servaverint aut violaverint? Egregie hoc me docuit Erfurdt in notis Msis. Idoneo loco hoc exemplum commemoratur III, 22.“ In his verbis Gernhardi saltem aliquid ponderis inest, tametsi difficultatem expedire non difficile factu videtur. Considerandum est enim, iam inde a cap. 11 Ciceronem id agere in universum, ut officia bellica i. e. iustitiam adversus hostes servandam enucleatius exponat. Ex quo fit, ut etiam illud exemplum, quod postremo narratur de maiorum iustitia in hostem, quamvis ad fidem hosti datam minus pertinere videatur, idoneo loco positum sit, apteque totam disputationem concludat. Quare Cicero haec verba subiungit: *Ac de bellicis quidem officiis satis dictum.*

Ex omnibus igitur argumentis, quibus Gernhardus interpolationem loci initio adscripti evincere conatur, quaeque Schützio vehementer probantur, nihil reliquum fit praeter hoc unum, quod totus ille locus a codicibus non paucis abest. Sed ea res cum per se nuspiam certum est interpolationis signum, tum hic meo iudicio levissimi aut nullius momenti videbitur, dum consideraveris orationis virtutes, quibus locus insignis est et Ciceronianum dicendi genus inprimis sapit. Ceterum de causis, quibus fieri potuerit, ut locus in una vel altera codicum familia desideretur, Beierus, agnoscens tamen interpolationem, satis recte ac subtiliter in Excursu. Possunt enim plures causae cogitari. Primum casus; nam casu quodam „potuit vetusti codicis forma minori, eiusque maiusculis literis scripti, intercidere folium unum, aut pro uno a scriba verti duplex.“ Deinde, quum ad casum confugere parum honestum sit, quidni idem, quod hodie criticis contingit, iam olim Ciceronis lectoribus contigisse putemus? Itaque species discrepantiae primi libri a tertio iam olim facillime potuit lectores eo adducere, ut, quae primo libro narrantur de decem ab Hannibale missis deque perfuga a Pyrrho veniente, in margine tanquam spuria vel suspecta notarent; quo semel facto prope necesse fuit, ut postea locus notatus ab uno vel altero scribarum praetermitteretur.

Schul-Nachrichten

vom 1sten October 1830 bis 15ten August 1831.

I.

Allgemeine Lehr-Verfassung.

A. Lehrstunden in den acht Klassen.

Selecta.

34 Stunden. Ordinarius Oberlehrer Dr. Bach.

2 Stunden Religion, 8 St. Latein, 7 St. Griechisch, 2 St. Hebräisch, 1 St. Französisch, 3 St. Deutsch, 2 St. Psychologie, 2 St. Geschichte, 4 St. Mathematik, 1 St. Physik, 1 St. Zeichnen, 1 St. Gesang.

Prima.

34 Stunden. Ordinarius Professor Dr. Ullrich.

2 Stunden Religion mit Selecta gemeinschaftlich, 8 St. Latein, 7 St. Griechisch, 2 St. Hebräisch mit Selecta in Verbindung, 1 St. Französisch, 3 St. Deutsch, 2 St. Psychologie mit Selecta in Verbindung, 2 St. Geschichte, 4 St. Mathematik, 1 St. Physik, 1 St. Zeichnen, 1 St. Gesang.

Ober-Secunda.

31 Stunden. Ordinarius G. L. Kruhl.

1 Stunde Religion, 8 St. Latein, 7 St. Griechisch, 1 St. Hebräisch, 2 St. Französisch, 3 St. Deutsch, 3 St. Geschichte, 3 St. Mathematik, 1 St. Physik, 1 St. Zeichnen, 1 St. Gesang.

Unter-Secunda.

33 Stunden. Ordinarius G. L. Kabath.

1 Stunde Religion, 9 Stunden Latein, 7 St. Griechisch, 1 St. Hebräisch, 1 St. Französisch, 4 St. Deutsch, 3 St. Geschichte, 4 St. Mathematik, 1 St. Physik, 1 St. Zeichnen, 1 St. Gesang.

Tertia.

32 Stunden. Ordinarius Oberlehrer Gebauer.

1 Stunde Religion, 8 St. Latein, 5 St. Griechisch, 3 St. Deutsch, 2 St. Französisch, 4 St. Geschichte, 1 St. Geographie, 4 St. Mathematik, 1 St. Physik, 1 St. Naturgeschichte, 1 St. Zeichnen, 1 St. Gesang gemeinschaftlich mit den oberen Klassen.

Quarta.

29 Stunden. Ordinarius Professor Hausdorf.

1 Stunde Religion, 1 St. biblische Geschichte, 8 St. Latein, 4 St. Griechisch, 1 St. Französisch, 4 St. Deutsch, 2 St. Geschichte, 1 St. Geographie, 5 St. Mathematik, 1 St. Zeichnen, 1 St. Gesang.

Quinta.

28 Stunden. Ordinarius G. L. Prudlo.

1 Stunde Religion, 1 St. biblische Geschichte, 8 St. Latein, 3 St. Deutsch, 2 St. Geographie, 1 St. Geschichte, 2 St. Naturgeschichte, 4 St. bürgerliche Rechenkunst, 2 St. Zeichnen, 3 St. Schreiben, 1 St. Singen.

Sexta.

26 Stunden. Ordinarius Religionslehrer Stenzel.

1 Stunde Religion, 1 St. biblische Geschichte, 5 St. Latein, 3 St. Deutsch, 2 St. Geographie, 2 St. Geschichte, 1 St. Naturgeschichte, 4 St. Rechnen, 2 St. Zeichnen, 3 St. Schreiben, 2 St. Singen.

B. Lehrer, unter welche die Stunden vertheilt waren.

a) Ordentliche Lehrer.

1) Der Director, bis Ostern 4, nach Ostern 7 Stunden.

Empirische Psychologie. In Selecta und Prima combinirt die ganze Lehre von den Erkenntnißthätigkeiten, 2 St. wöchentlich. In Verbindung damit freie Vorträge und Disputir-Uebungen der Schüler über vorgekommene Materien.

Latein. In Prima Ciceronis de Offic. lib. I. lateinisch erklärt, 2 St. — In Quinta von Ostern ab Uebungen im Uebersetzen aus dem Lateinischen in's Deutsche nach Bonnel, 3 St. Der Candidat Nitschke nahm an der Leitung dieser Uebungen thätigen Antheil.

2) Hausdorf, Professor, 10 Stunden.

Geschichte. In Selecta 2 St. neuere Geschichte. Die Wirkungen und Folgen der französischen Revolution für Europa, Amerika und theilweise für Afrika. Vorbereitung und Begründung dieser Weltbegebenheit im 16ten, 17ten u. 18ten Jahrhundert. In Prima 2 St. vom Ende des 15. Jahrhunderts bis auf Ludwig XIV. In Tertia 2 St. mittlere Geschichte bis 1492. Vor Ostern 2 St. deutsche Geschichte bis 1519. Nach Ostern 2 St. schlesische Geschichte bis zum Frieden zu Olmütz 1478. In Quarta 2 St. Uebersicht der Geschichte der alten Welt bis 476 nach Christi Geburt.

Geographie. 1 St. in Tertia. Der preußische Staat. 1 St. in Quarta. Asien und Amerika.

3) Dr. Ullrich, Professor, 17 Stunden.

Latein 9 Stunden. In Selecta wurde in 3 St. wöchentlich Horat. Epist. Lib. I., in Prima durch eben so viele Stunden Virg. Georg. lib. I. et II. lateinisch erklärt. Ferner wurde in Prima durch 3 St. jede Woche der lat. Stil dadurch geübt, daß theils die Eigenthümlichkeiten der lat. Sprache bemerkbar gemacht, theils Extemporalien geschrieben, und die von den Schülern zu Hause angefertigten und vom Lehrer verbesserten Ausarbeitungen beurtheilt wurden.

Griechisch 8 Stunden. In Selecta wurde in 3 St. wöchentlich Demosth. Orat. de pace und Olynth. I et II, in Prima bei gleicher Stundenzahl Plat. Lysis und Laches lateinisch erläutert; zugleich wurden in jeder dieser Klassen durch 1 Stunde wöchentlich die Regeln der griechischen Grammatik mittelst schriftlicher Uebungen verständlich und geläufig gemacht.

4) Dr. Bach, Oberlehrer, 18 Stunden.

Latein 8 St. In Selecta Taciti Germania, Annal. lib. I bis c. 49, 2 Stunden wöchentlich; freie Aufsätze und Extemporalia 3 St. — In Ober-Secunda Virgilii Eclog. und Horatii Od. mit Auswahl 3 St.

